

Christus flos patriarcharum secundum carnem nascitur. Deus enim qui in Numeris signum fecit, ut asina loqueretur, multum maius signum facere voluit, ut Christus ex virgine nasceretur. Aut quid mihi et tibi esset certamen, nisi ut Virgo peperisset?

Sim. — Credo Virginem, ut dicis, potuisse de Spiritu concipere. Agitur, si virgo potuit parere.

Th. — Incredule! Saxum Deus potuit rumpere, et aquam in sitientem producere; quanto magis Deus iubere potuit ut virgo partum ederet! Adhuc * tibi dico aliud testimonium, si tamen credas *1172 Baruch, Neri filium, qui in Babylonem prophetavit.

Age nunc, intellige racemum illum in Numeris,¹ quem in terra 1175 repromissionis duo vectantes reportabant: quod utique figura fuit Christi pendentis in ligno. Adveniens de terra repromissionis, id est de Maria, quae ex genere terreno fuit.

VITALIS ET CONSTANTIUS² Hispani (saec. v)

EPISTOLA AD S. CAPREOLUM EP. CARTHAGINENSEM

1435

[...] Sunt hic quidam qui dicunt non debere dici Deum natum. Nam et haec est fides eorum, hominem purum natum fuisse de Maria virgine, et post haec Deum habitasse in eo. Quorum nos humiles pueri tui resistimus affirmationi, non ita debere dici: sed confitemur, ut ait evangelista, annuntiante angelo Gabriele Mariae dicente: *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*³

PL
53, 848

II. Confitemur itaque Deum fuisse in utero Mariae virginis, assumpsisse aliquam partem, fabricasse Deum sibi hominem, natum fuisse Deum verum et hominem verum quem assumpsit pro salute generis humani, ut ait Apostolus: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*⁴

¹ Num. XIII, 24.

² Constantius vel potius *Tonantius* (Clavis 398).

³ Lc. I, 35.

⁴ Gal. IV, 4.

● PL 20, 1178.

● PL 53, 764, 765, 766, 785, 829, 850, 851.